

## XVII. Verum.

Præstò est corpus Christi *non tantum secundum figuram*, sed etiam *substantiam*.

## XVIII. Substantiale.

Hòc locò non aliquem turbare debent diversa corporis Christi accidentia, nam in primâ cœnâ corpus *pro nobis tradendum* exhibetur, hodiè corpus jam *olim traditum*. Hoc corpus Christi substantiale manet idem in collatione cum cœnâ primâ, licet hodiè sit immortale, & olim fuerit mortale.

## XIX. Realiter præsens.

1. *Non tantum significativè, nec effectivè seu virtualiter*, sicut sol mundo inferiori, quando hunc illuminat, sed *realiter*, præsens est, quia corpus Christi est materia constituens Sacramenti.
2. Realitas præsentia hujus licet sit à nobis *adequatè inexplicabilis*, sufficit, quod sit *credibilis*.
3. Præsentia hæc non est *generalis*, sicuti universo orbi præsens est DEUS, nec *specialis*, quemadmodum præsens est fidelibus, sed *singularis*.

## XX. Cum pane sacramentaliter unitum.

1. Distinguendum inter unionem *spiritualem & sacramentalem*. Priori modò Christus etiam extra cœnam fidelibus adest.
2. Hæc unio sacramentalis non *in sensu heterodoxò*, sed *orthodoxò* est accipienda. Nam & Calviniani sacramentalem unionem sæpius in ore habent, sed talem intelligunt, quæ non sit realis, hòc locò à nobis in sensu orthodoxò terminus accipitur.
3. Hæc unio porrò *plenariè & adequatè est incomprehensibilis*. Sufficit, quod *aliquò modò sit apprehensibilis*.
4. *Scimus hujus unionis veritatem, nescimus quidditatem ac qualitatem*. *Scimus generalia*, non autem capimus *specialia* circa hanc unionem. Scimus, quod sit *realis*, non verò *tantum verbalis*. Juxta Calvinia-
5. Scimus, quod *non sit Physica*, sed *Hyperphysica*. (nos.
6. Determinare possumus modum *non tam κτ' Θεον, quam κατ' ἄρην*, & hæc cognitio in eò consistit, quod sciamus unionem sacramentalem *non in transubstantiatione consistere*, juxta Pontificios.
7. Non consistit hæc unio *in substantiarum commixtione*, sicuti se res habet cum mulsò vel pane. Utrobique substantiæ manent salvæ,